



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Compendiolvm Vitæ Admirabilis Et Pretiosæ Mortis B.  
Rosæ De S. Maria Limensis Peruanæ, Tertii Ordinis S. P.  
Dominici à S. D. N. Clemente IX. Beatis Annumeratæ**

**González de Acuña, Antonio**

**Augustæ Vindelicorum, 1668**

Capvt III. Rosa, ut sequatur vestigia sanctæ Catharinæ Senensis, Tertio S.  
P. Dominici Ordini adscrib[i]tur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44063**

## C A P V T I I I .

ROSA, ut sequatur vestigia sanctæ Catharinæ Senensis, Tertio S.P. Dominici Ordini adscribtur.

Qui sanctissimam Virginem Catharinam Senensem cum Rosa nostra componat, incertus animi sit, indicumne hunc florem, an ex Italia translatum in Peruviam dicat; usque adeò Rosa Catharinæ institutum vitæ, mores integrimos, benevolentissimi Nuininis dona, & ipsa tandem lineamenta vultus expressit. Conubij, cui nobili, & honestissimo destinabatur, spem amputare visa est excidio capillorum. Sed egregia formæ venustas, acre judicium, suavitas erectæ indolis, elegantissimi mores sancto Virginis consilio adversabantur. Roseum illa candorem jejunis deterere, nativam pulcherrimi vultus gratiam omni arte abolere, manus, quarum candor, & pulchritudo commendabatur viva calce amburere, ne hominum placeret obtutibus, domilatere: adeo ut aliquando Cantam deducta, locum metalli fodinis nobilem, quadriennio nunquam pedem extra limen extulerit, ne semel quidem videre dignata vicinū deliciarum hortum, aut per celebre spectaculum molium indicarum. Plures nihilominus invita accedit ambitu honestissimi thalami, ac præcipuo Matrona genere, & opibus clara illâ uni-

A 5

co

eo filio suo Sponsam optabat , & gratissimum  
hoc erat Rosæ parentibus , ac fratribus , qui nu-  
ptiarum nomine exanimata , probris , convi-  
ciis , alapis , calcibus impetebant , veluti Lapa Ma-  
ter S. Catharinam , cuius ad instar Rosa injuriis  
omnibus æquissimo animo devoratis , in S. Do-  
minici viridarium tandem insita fuit , adscripta  
Tertiæ sanctissimi Patris familiæ , licet illam in-  
vitassent cœnobia nobilissima , optarat S. Archi-  
episcopus Turibius , ab illa præcipuè sacræ do-  
mus , quæ tunc surgebat , fundamenta poni , Ro-  
sa studiofa sequi Seraphicæ Magistræ suæ Catha-  
rinæ Senensis Idæam , quam quinquennis elege-  
rat , vitæ instituto , moribus , habitu repræsen-  
tandam , ne tamen suo consilio nimium tri-  
buere , & parùm sapientum virorum arbitrio vi-  
deretur , in viam se aliquando dederat Sanctissi-  
mæ Incarnationis Monasterium ingressura . At  
cum ultimum vale diceret Rosariano Sacello  
Deiparæ , visa est ut rupes adnasci solo , & frustra  
in pedes exilire tentavit , advocato sæpius ad o-  
pem ferendam germano fratre , contentisque  
viribus conniso ; quoadusque decreto regressu  
ad domesticas latebras , alacritate mira surre-  
xit . Et alio prodigo Deus ad premenda Ca-  
tharinæ vestigia Rosam invitavit ; nam ex papi-  
lionibus , qui colorum varietate mirabiles Li-  
manum agrum pervolit , unus nigro tan-  
tum , alboque colore pulcherrimè striatus , cir-  
cumvolitavit Rosam , quæ divinum hoc esse re-

spon-

sponsum intellexit, ut velut animo dudum agi-  
taverat, Prædicatorij Ordinistertium habitum  
amplecteretur. Ab illo semel induito vix non  
dimovit Rosam modestissimi animi demissio;  
nam glacente ejus nominis celebritate, cœpit  
monstrari digitis, notari oculis, laudari à præte-  
reuntibus, ipsique D. Catharinæ Senensi non  
raro comparari. Et meritò; nam adeò sanctæ  
Magistræ suæ virtutes induit, ut semel tacitè mi-  
ranti Confessorio visa fuerit specie, vultu, linea-  
mentis sic transformata, ut viva similitudine  
ipsissimam S. Catharinæ Senensis effigiem re-  
ferret. Demum, quæ tam caro illi steterat, ve-  
stem constanter retinuit; nam dum latendi stu-  
dium illam seponendam suggerebat, ad aram  
Sanctissimi Rosarij flexis hunii genibus inter  
orandum placidissimo animi deliquio sensim  
diriguit, visa ab adstantibus primò exalbescere  
pallore niveo, mox decora suffusione rubesce-  
re, demum toto vultu lucescere, ac scintillatim  
radiare: suoque colori reddita, erumpentibus  
ex animo prægestiente verbis, ostendit, se in  
hoc vitæ instituto divinitùs  
confirmatam.



CAP.